



**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1740

§. I. Origo. Antiquitas Cœmeteriorum, nec non Ritus ea inaugurandi
compendiosa relatione describitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63798)

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

Actum est in præcedentibus duobus Titulis de morientium Privilegiis, & Juribus, sive de ultimis Voluntatibus, & Successionibus ab intestato, quæ post mortem demum ex speciali juris beneficio effectum sortiuntur: recto jam tramite ad *Jura Sepulturæ* (qui honor, est supremus defunctorum cadaveribus exhiberi solitus) explananda transimus. Potest autem sepultura tripliciter spectari, vel pro loco, in quo quis sepeliendus est, vel pro jure sepulturæ, quod quis habet in aliquo loco, vel denique pro ipso ritu, & actu sepeliendi *cap. 15. C. 13. Q. 2. cap. 8. de Simon.* De singulis singulatim.

§. I.

Origo, Antiquitas Cæmeteriorum, nec non Ritus ea inaugurandi compendiosa relatione describitur.

S U M M A R I A.

1. Varii sepeliendi ritus, & modi antiquis usitati referuntur.
2. Etymologia hujus vocis Cæmeterium panditur.
3. Tempore persecutionum Divina in Cæmeteriis agebantur.
4. Cæmeterii varia homonymia.
5. Romanis vetitum erat, in urbibus mortuorum cadavera sepelire.
6. Permissum deinceps, ut Sacris Martyrum exuviis honor supremus exhiberetur, quem cultum tanquam supersticiosum carpit Bæhmerus, & carpitur ex S. Augustino.
7. Tandem usus obtinuit, promiscuè defunctos intra urbes sepelire, quod rursus Bæhmerus superstitioni deputat, sed temere, ut ex S. Augustino ostenditur.
8. Primitus nefas erat, quemquam intra templi ambitum sepelire, sed pedetentim etiam hic rigor remisit.
9. Quod discrimen inter ritum sepeliendi Romanis usitatum, & quo nos Christiani defuncto utimur, ostenditur.
10. Cæmeteria erigere, & benedicere regulariter ad loci ordinarium spectat.
11. Penes quem potestas Cæmeteria erigendi sit, quando protestantes inter Catholicos degunt, discutitur.

Va-

1 **V**arios sepulturæ modos pro varietate nationum in usu fuisse, passim notant Historici. Sic *Essedones* populi Asiatici utramque Scythiam incolentes teste Herodoto *lib. 4. Histor.* parentum funera cantu quidem prosequabantur, eorum vero cadavera convocatis amicis devorabant, sanctius & honestius rati ab hominibus quam vermibus consumi, cranium vero capitis auro cingebant, & ad poculi usum asservabant. *Barcae*, gens Hesperia, quia vultures aves sacras credebant, iisdem cadavera devoranda obicere soliti sunt, teste *Æliano in Hist. Animal. cap. 22.* Alii 4. Elementis ea commendabant, & *Æthiopes* quidem teste *Diodoro siculo lib. 1. cap. 3.* in flumina mortuos abiciebant, *Scythæ* vero teste *Spondano de Cæmeteriis sacris lib. 1. part. 1. cap. 4.* defunctos arboribus affigebant, per aërem exsicandos: Romani, Græci, imo Galli quoque & Germani, testibus *Cæsare, Tacito, Plinio, & aliis*, igne mortuorum cadavera concremabant. Sed his, & aliis omnibus humanior, antiquior, ac naturæ conformior semper fuit mos humationis, quo homo humo reddebatur, ut, qui de terra sumptus erat, in terram pulvis reverteretur *Genes. 3.* Unde antiqui Patres à condito statim mundo corpora defunctorum terræ mandarunt, ut exemplum habemus in *Abrahamo Genes. 23.* qui *Saram* uxorem suam in agro, quadringentis siclis comparato, sepelivit, ipseque postea in eodem loco repositus fuit. Quem propterea *Cæmeteriorum* primum conditorem fuisse dicitur *Polydorus Virgil. de invent. rer. lib. 6. cap. 6.*

2 *Cæmeterium* varias habet etymo-

logias, quas recenset *Gonzalez ad cap. 7. de consecrat. Eccles. num. 2.* & *Petrus de Murga disquisit. Moral. disquisit. 1. num. 5. & seqq.* illa verior, & sincerior est, quæ derivatur à græco verbo *κοιμω*, quod dormire significat. Quapropter veteres tam antiquæ, quam novæ Legis Patres mortuos dormire dicebant, quod frequenter in Sacris Litteris reperitur, ut illud: *Dormivit cum patribus suis in Senectute bona.* Et 1. *Thessalon. 4.* *Nolumus vos ignorare de dormientibus; ut non contristemini.* Et sicut antiquitus Græci pro peregrinis hospitandis ædificia excitabant, quæ teste *Athenæo lib. 4. cap. 5.* *Cæmeteria* vocabant, ita Christiani postea non minori pietate ducti similia hospitia pro tumulandis defunctorum corporibus erigebant, quæ pariter *Cæmeteria*, sive *Dormitoria* indigitabant, vocis hujus significatione apposite ad Christianorum sepulchra traducta, quippe qui ob spem gloriosæ resurrectionis non tam mortui jacere, quam dormire dicuntur *Joan. 11. 1. Corinth. 15.* *Gonzalez ad d. cap. 7. de consecrat. Eccles. num. 2.* *Eminent. Vincent. Petra in Comment. ad Constit. Apostol. tom. 2. pag. 190. num. 1.*

3 Quo tempore Ecclesia gravissimis persecutionum fluctibus jactabatur, dum Christianis integrum non esset, templa frequentare, Divina in *Cæmeteriis* peragebantur, prout insinuat *Eusebius lib. 6. cap. 13. & lib. 7. cap. 9.* *Panvinus in Append. ad Platinam. Vid. Pignatell. tom. 5. Consult. 59. num. 24. & 2. seqq.*

4 *Cæmeterium* varias fortitur Synonymias. Vocatur *polyandrum*, quasi *pollutum antrum* propter cadaver illatum.

U

tum. *Monumentum* à monendo, quasi memoriae gratia existat, ut, qui viventium oculis morte subducti sunt, monumenti saltem occasione in amicorum memoria retineantur l. 2. §. 6. ff. de Relig. § sumpt. funer. *Tumulus* *Job.* 0. quasi *tumens humus*. *Mausoleum* sive Principis sepulchrum à Mausolo rege. *Sarcophagus* à lapide marmoreo, in quo primum corpora condebantur. *Ergastulum* à quiescendo. *Cœnotaphium*, sive locus vacuus l. 6. §. 1. § l. 41. ff. de Relig. § sumpt. funer.

5 Apud Romanos Lege 12. Tabularum cautum erat, *hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito*. In civitatibus igitur nefas erat, quemquam sepelire, quæ lex, indicta insuper in prævaricatores pecuniaria mulcta, ab Adriano Imperatore, teste Ulpiano in l. 3. §. 5. ff. de Sepulch. violat. & Diocletiano, ac Maximiano in l. 12. C. de Religios. § sumpt. innovata, ac deinceps per omnes Romani Imperii Provincias propagata fuit, ut probat Thomassin. *Vet. & Nov. discipl. part. 3. lib. 1. cap. 66. num. 1.* Eaque deinceps non tantum à Græcis, & Æthiopibus adoptata, ut testatur Gregorius Tholosan. *Synt. gm. jur. lib. 33. c. 23. num. 7. & 8.* sed etiam à Christianis Principibus addito suæ Constitutionis robore confirmata fuit, ut constat ex l. 6. C. Theodos. de Sepulch. viol. dispari tamen ex causa & fine. Gentilibus quippe persuasum erat, Diis superis sacrata solo aspectu, vel contactu rei funestæ contaminari, & Sacerdotes, si vel funus viderent, vel domum funeris ingrederentur, ut notat Gothofredus ad cit. l. 6. C. Theodos. At vero

Christianis eo ex capite visum est, prohibere cadaverum sepulturam intra urbis mœnia, ne fœtore ipso corpora viventium contacta inficerentur, ut insinuat Isidorus lib. 14. Origin. cap. 12.

Postquam vero Christiana Religio 6 majora indies sumeret incrementa, factum est, ut sacris Martyrum exuviis honor sepulturæ intra urbes exhiberetur, quin etiam Martyrum corpora, quæ tempore persecutionis extra urbes in cryptis, aut catacumbis tumulata jacebant, officiosa fidelium pietate in urbem translata, & honorifico tumulo recondita sunt, adjectis adiculis, vel potius ædificatis Ecclesiis, quæ vulgo *Martyria* dicta sunt. Van Espen *J. E. V. part. 2. tit. 38. cap. 2. §. 8.* Hunc ritum sepeliendi veneranda Martyrum ossa Boëmerus ex Gentilium superstitione fluxisse ait. Recito ejus verba ad h. t. §. 6. *Hic mos parum recedebat ab institutis Gentilium, qui itidem virtuti heroum suorum hoc dabant, ut iis sepulchra intra civitatem concederent, imo, quod magis est, tumulis eorum templa imponerent. Quid ergo mirum, si Christiani simili uterentur more, & suos heroas quoque vel templis inferrent, vel super eorum sepulchris illa exstruerent.* Hoc Scomma Boëmerianum, verbis S. Augustini diluo: *Et si hæc faciunt (sunt verba hujus S. Doctoris lib. de cur. gerend. pro mort. in fin.) qui carnis resurrectionem non credunt, quanto magis debent facere, qui credunt, ut corpori mortuo, sed tamen resurrecturo, & in aternitate mansuro impensum ejusmodi officium sit etiam quodammodo ejusdem fidei testimonium.*

Tan-

7 Tandem consuetudine contra legem praevalente obtentum est, ut aliis quoque honor sepulturae intra urbem concederetur, Imperatoribus quidem & Episcopis in ipsa Ecclesia, aliis vero in porticu, sive prope Ecclesiam. Videatur Thomassinus l. cit. cap. 67. Cabassutius in Notit. Concil. in Concil. Nannet. Can. 6. fol. 365. Quid de hoc more Boehmerus? Tanta, inquit §. 7. h. t. jam plerosque invaserat superstitione, ut crederent sibi saluti fore sanctitatem loci, seque ex consortio Martyrum in templis conditorum aliquid adjuvamenti assecuturos esse. Quid ergo mirum, si reliqui laici quoque ad hunc honorem UMBRATILEM adspirarent, & ossa sua juxta Martyrum tumulos condiderent. An idem ritus S. Augustino superstitionem sapere visus est? Audi Augustinum in cit. lib. de cur. gerend. pro mort. num. 6. Profecto etiam provisus sepeliendis corporibus apud memorias Sanctorum locus, bonae affectionis humana est erga funera suorum: quoniam si nonnulla religio est, ut sepeliantur, non potest nulla esse, quando, ubi sepeliantur, attenditur. Sed quæ isthæc religio? Cum itaque recolit animus, pergit Augustinus, ubi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis, & precantis affectus. Nos nullam, cum cachinno reponit Boehmerus §. 23. h. t. ex Cœmeterii, aliisve loci sanctitate gratiam aut beneficium defuncto conferri credimus, cum nequidem nostris Cœmeteriis ulla sanctitatis qualitas insit. Verissima dicis Boehmere, fatemur & nos, nullam defunctis vestris ex loci sanctitate gratiam confer-

ri, nec sanctitatis qualitatem vestris inesse Cœmeteriis, quia nec Religioni vestrae ulla sanctitas inest. Propterea tamen carpere non debes Augustinum, non enim de vestris hominibus locutus est, quando dixit. cit. lib. qui (affectus) cum defunctis a fidelibus carissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui, cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. Tantum iis proficere loci sanctitatem autumat Augustinus, qui per bona opera in vivis exercita sibi hoc beneficium, mortuis applicandum, promeruerunt. Sed ista nihil ad vos, qui ex sola fide vivitis.

8 Illud porro certum est, olim per varios Conciliorum Canones, quos refert Thomassinus cit. lib. cap. 67. Cabassutius cit. loc. Van-Espen d. cap. §. 26. & seqq. Decretum fuisse, ut ne quisquam, sive Laicus, sive Clericus, intra Ecclesiæ ambitum tumularetur, nisi quem vitæ meritum hoc honore dignum reddidisset, causas prohibitionis recenset S. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 50. Pederentim hic Canonum rigor remittere cœpit, ita, ut primitus personis illustribus, dehinc etiam promiscuæ plebi ad removendam occasionem scandali, confovendamque piam fidelium devotionem potestas facta sit, habendi sepulchra intra Ecclesiam, ut constat ex cap. 6. h. t. cap. 6. & 7. C. 13. Q. 2. & aliis Conciliorum decretis, accedente insuper consuetudine universali, de qua Gonzalez ad cap. 1. §. 3. h. t. V. Petram cit. tom. pag. 192. num. 10. quanquam vero Ecclesia in hoc puncto multum remiserit (scribit Van-Espen cit. cap. §. 35.) satis tamen ostendit, quod & in hoc articulo di-

disciplinæ eodem spiritu agatur, neque à pristina disciplina recedat, nisi necessitate, & conditione temporis quodammodo cogente. Ut quid enim etiamnum hodie specialem illum ritum benedicendi Cœmeteria retinet, nisi, ut ostendat, locum proprium sepeliendis mortuorum corporibus esse Cœmeterium. Hæc laudatus Espenius, qui in *ss. seqq.* ex Conciliis Recentioribus ostendit, nec hodie Ecclesiæ promiscuum illum usum sepeliendi intra Ecclesiam defunctorum corpora probari. Sed accedente rationabili causa id demum ratum habet.

9 Circa ritum sepulturæ Romanis usitatum, & qui apud nos orthodoxos obtinet, id discriminis notare oportet, quod Romani locum per solam illationem cadaveris, aut præcipuam ejus partem, quæ est *caput*, Religiosum fieri, ac per consequens commercio humano exemptum esse crediderunt, ut constat ex *l. 44. ff. de Religios. & sumpt. funer. l. 2. Cod. eod. §. 9. Inst. de R. D.* apud nos non per illationem corporis, sed per benedictionem Episcopi locus Religiosus efficitur *cap. 4. de Relig. domib. de quo ritu benedicendi videatur noster Edmundus Martene de antiq. Eccles. ritib. tom. 2. lib. 2. cap. 20. & lib. 3. cap. 12. §. 13. de ejus origine Van-Espen cit. cap. §. 20. & seq.*

10 Cœmeteria igitur erigere, consecrare, & benedicere pertinet ad Episcopum, & quidem *Diocesenum*, quia alius Episcopus, cum in aliena Diœcesi sine consensu Ordinarii loci Pontificalia exercere nequeat. Concil. Trid. *Seff. 6. de Reformat. cap. 5.* per consequens Cœmeteria ibidem consecrare aut benedicere nequit, nam in benedi-

ctione Cœmeterii juxta Pontificale Romanum Episcopus Pontificalibus uti debet, prout ex Pax Jordan, & aliis testatum facit Petrus de Murga *disquisit. Moral. disquisit. 2. num. 2.* qui insimul *disquisit. 3. num. 1. 2. 24. 27. & seqq.* ostendit, potestatem erigendi, & benedicendi Cœmeteria etiam competere Prælati regularibus non tantum in Monasteriis suis, sed etiam in Ecclesiis iisdem unitis. Alii vero Sacerdotes nonnisi ex delegatione S. Pontificis Cœmeteria consecrare, vel annuente Episcopo eadem benedicere possunt. Idem Murga *disquisit. 2. num. 5. & 8.* Quo ergo aliquis locus juribus, & prærogativis Cœmeterii gaudeat, Episcopali autoritate & ejus benedictione ad defunctorum cadavera sepelienda designatus sit oportet. Barboz. *J. E.V. lib. 2. cap. 9. num. 7. Petra d.l. n. 2.* Quid apud Protestantes obtineat, docet Boehmerus ad *h. t. §. 12. & seqq.*

Quid autem, si Protestantes inter Catholicos vivant, penes quem potestas deputandi Cœmeteria erit? Boehmerus ad *h. t. §. 17.* sic distinguit: aut Protestantes Anno 1624. agnoverunt jurisdictionem in stiroribus Episcoporum, aut non agnoverunt. Priori casu, si Catholici eos ad commune suum Cœmeterium admittere nolint, ab Episcopo facultatem extruendi Cœmeterium petere debent, adstringi tamen non possunt, ut benedictionem Episcopi admittant, quia per *Instrum. Pac. art. 5. §. 48.* nihil, quod eorum Confessione adversum est, ab Episcopis fieri, aut obtrudi ipsis potest. Sed hac cautela, aut protestatione opus haud fuisset, certum enim jubeo esse Boehmerum, quod Episcopi nostri, etsi mil-

lies

lies à protestantibus forent implorati, eorum Cœmeteria non consecrarent, aut benedicerent. Posteriore casu, si Augustanæ Confessioni addicti d. Anno 24. inter Catholicos liberum Religionis suæ exercitium cum templis habuerunt, suo quoque Jure Cœmeteria antiqua dilatare, aut nova pro re nata

erigere possunt. Juxta Instrum. Pac. d. art. 5. §. 31. Quod jus vice versa Catholicis, qui d. Anno 24. sub principibus protestantibus orthodoxa sacra libere exercuerunt, competere idem Bœhmerus testis est, & probatur ex d. art. 5. §. 1. in fine. ibi: quod uni parti justum est, alteri quoque sit justum.

§. II.

In quo loco quisque sepeliendus sit?

S U M M A R I A.

12. Regulariter quisque sibi sepulturam eligere potest. 13. Quod per casus declaratur. 14. Novitii sibi sepulturam eligere possunt. 15. Non etiam Religiosi professi. 16. Qui, si extra claustrum decedant, irrequisito Parocho loci ad Monasterium deferri possunt. 17. Prælati Regularibus sepulturam eligendi facultas adempta non est. 18. Sepultura non electa quisque in sepulchro Majorum suorum tumulandus est. 19. Et si Pater defuncti alibi sepulturam habeat. 20. Sepultura alia dicitur familiaris, alia hereditaria. 21. Non extante sepulchro Majorum sepeliendus quis est in Parochia, ubi Sacramenta recepit. 22. Conjuges communem sepulturam habent. 23. Quid juris, si quis alienum Parochianum sepeliverit?

12. **C**ommuniter pro Regula traditur, quod quisque eligere sibi possit sepulturam cap. 1. §. 8. h. t. vel in propria, vel aliena Ecclesia, supposito, quod illa jus funerandi vel ex jure communi, vel ex privilegio habeat. cap. 16. §. seq. de excess. Prælat. cap. 24. de Privileg. imo etiam in loco minus Religioso, hoc est, tali, in quo Divina officia, sacrificia, & aliæ publicæ Orationes rarius peraguntur. cap. 2. §. si quis h. t. in 6. secus, si malitiose, & sine omni rationabili causa id faciat. cap. 3. h. t. Vivianus ibidem. Imo potest quis etiam alteri jus eligendi committere secundum Riccium decis. 663. & Gutierrez de juram. part. 2. cap. 4.

modo tamen electio à tertio adhuc ante mortem sepeliendi facta fuerit, ut idem Riccius ibidem limitat, & lapsus in cap. 3. h. t. in 6. num. ult. Hac vero non electa, in sepulchro Majorum suorum tumulandus est cap. 1. h. t. cap. 1. eod. in 6. aut hoc non extante, in Ecclesia Parochiali, ubi Sacramenta recepit. cap. 1. §. 10. h. t. cap. 3. eod. in 6. Placet jam datam regulam per singula membra distinctius explanare.

Et quidem quod electionem sepul-
turæ concernit, illa indefinitè in dd. cc. videtur omnibus esse concessa. Hinc Episcopus, non obstante vinculo matrimonii spiritualis cum sua Ecclesia, potest sibi extra illam, imo extra Dioc-

U 3

cesin